Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2421
Quelle:
Copyright:

eiusdem libri ad exemplaria scripta. Non enim desunt ejusmodi, si *Oudinum* T. III. *col.* 158. et *Quetifum Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 177. consulas, ubi et editiones subsequae memorantur. Harum tandem ultima procurata *Duaci* 1625. 4. nomen Autoris praefert *Richardi à S. Laurentio canonici, Archidiaconi et Poenitentiarii Ecclesiae Rothomagensis*, qui circa medium Seculi XIII. vixit et scripsit, cuique opus hoc magno consensu Literatores tribuunt. Quare falsus est *Petrus Jammyus* inserendo illud T. XX. *opp. Alberti M. Lugd.* 1651. f. cujus si caussa agenda foret, dicerem, ad manum illi forte fuisse Editionem illam *Mentelianae* similem supracitatam, in qua operi *Alberti M.* Super *Missus est* opus *Richardi* continuo cohaeret. Ceterum curas de eo nostras, ut solet, jam praevertit *Lambecius* L. II. p. 776. edit. *Kollar. col.* 579.

DCXXXV.

832 Codex chartaceus lat. in confinio Sec. XV. et XVI. currente calamo exaratus, Folior. 198. 8. continet: I. *Apologeticum. i. tractatum responsorium Magistri Alani de Rupe ordinis fratrum predicatorum de Psalterio beate marie virginis Ad venerabilem Patrem Dominum Fridericum de cluniaco episcopum tornacensem.* Intentissimus cultui B. V. per Rosarium in *Belgio* promovendo *Alanus de la Roche* s. *de Rupe Gallus Aremoricus* interpellatus fuisse videtur ab Episcopo obmotis Quaestionibus. Ad has igitur respondet hoc initio: *Laudate sic dominum ihesum christum et mariam cum omnibus veris fidelibus vt tandem sine fine cum angelicis spiritibus* &c. Scriptum istud XXIV. *Titulis* definitur, quorum I. *Quare* (Rosarium) *dicatur Psalterium.* Singulare illud, quod in fronte cujusvis *Tituli* Autor adfatur Episcopum mire variata phrasi. Ita: *Famosissime in christo pater et domine. Excellentissime presul. Reuerende in christo pater et reorum refugium* et similia. *Fridericus* hic sedem adiit 22. *Mart.* 1474. et *Alanus* 8. *Sept.* 1475. mortuus est. Hinc scriptionis tempus liquet. Ut hic in *Codice* habetur, *Apologeticus* nunquam lucem vidit; nam *Job. Andr. Coppensteinius*, qui *Alani* opera *Friburgi* 1619. edidit, magna in refingendo stilo libertate usus est, ut queritur *Echardus* in *Scriptt. ord. Praed.* T. I. p. 850. quem, si voles, de *Alano* consules. Finis in *Codice* est: *qui est benedictus animarum sponsus regnans in secula seculorum Amen.*

II. *fol.* 46. *De Decem Bonis que proveniunt homini existenti in hac Fraternitate rosarij.* Opusculum istud ad praecedens non pertinere, argumento est praecedentis Subscriptio: *Explicit Apologeticus magistri Alani de rupe.* Sed neque in *Coppensteinii* Collectione existit, neque ab *Echardo* inter *Alani* Scripta memoratur. Capitibus constat XVI. quorum I. *de decem Bonis* praedictis. II. *de septem que indicant excellentiam huius fraternitatis.* III. *quare fraternitas*